



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **R. P. Ioannis Azorii Lorcitani, Societatis Iesv Presbyteri Theologi, Institvtiones Morales**

In Qvibus Vnivers[a]e Qvaestiones ad Conscientiam recte aut prauè  
factorum pertinentes, breuiter tractantur

**Azor, Juan**

**Coloniae Agrippinae, 1612**

4 Quaedam quaestiones de tacita hypotheca soluuntur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14014**

pe mutantur, distrahantur, & nihilominus eadem velut vniuersitas quædam conseruatur. Si tamen certis quibusdam meritis locator, siue creditor manum iniecerit, easque velut in clausuram, ea distrahi nequeunt, quia manent non generaliter, sed specialiter obligatæ. Porro inquilinus in Iure propriè vocatur, qui conducit prædium vrbantum: Colonus verò, qui prædium rusticum. Inquilinus sedet in vrbe, Colonus in villa. *l. Qui pignoris*, & *l. Si id, quod. §. Et per colonus ff. De acquiren. posses.* & *Gloss. in l. Licet. C. De locato, & conducto.*

Sed mancipia nò inducta possunt alienari? Respondeo, causa, & fauore libertatis esse constitutum, nò hypothecæ, nisi specialis sit, & serui manumissionem impediat. *l. Libertas. C. l. Ab eo. C. De serue pro pigno. dato, & l. Licet. ff. in quibus causis hypotheca tacitè contrahatur.* Quærit aliquis, quid sit, quod dicitur in *l. Cuius iuris. C. De locato*, nimirum ea, quæ voluntate dominoz colonum in fundum conductum induxerint, pignoris iure domino prædiorum tenent. Quando domus locatur, non requiritur in rebus inductis, vel illatis domini scientia. Sic *ibi*. Quam Legem iuris interpretes communiter hunc in modum intelligunt. Inuecta, vel illata in prædium rusticum per conductorem obligati loco pignoris, domino prædij, si eo sciente inducantur. Illata verò in prædium vrbantum, manere obligata, quamuis inducta fuerint in scio domino prædij. Ita Accursius, Baldus, Salicetus, & alij.

Sed enim legem hanc alij sic interpretantur: Illata in prædium rusticum, hypothecam non habere, nisi de ea fuerit pactum expresse; quia fructus prædij rustici tacitè manent obligati. *l. In prædij. C. l. Eo iure. ff. in quibus causis hypotheca tacitè contrahatur.* At verò inducta, vel illata in prædium vrbantum, tacita hypotheca tenentur, etiamsi nihil de ea inter locatorem, & conductorem expresse conuenierit. *l. Licet. ff. eod. tit.* Et ratio discriminis huius est; quia prædium rusticum plerumque fundum habet, & obligato fundo, tacitè quoque fructus remanent obligati. *l. Quamuis fructus. C. in quibus causis hypothecæ tacitè contrahatur.* Ideo leges, & Iura voluerunt sufficere tacitam fructuum obligationem. Porro quamuis fructus ex prædio rustico percepti tacitam habeant hypothecam: in prædij tamen, quæ ex fructibus emuntur, nulla inest tacita obligatio. *l. Quamuis fructus paulo antè citata.*

### Quedam questiones de tacita hypotheca soluntur.

#### CAPVT IV.

**P**rimo quæritur, An qui mutuum pecuniam dat ad rem aliquam conseruandam, sibi tacitè obliget eam rem? Negulantius tract. *De pignoribus. membr. 2. part. 5. num. 15.* affirmat eam sibi obligare: quod probat testimonio Bartoli, Azonis, Glossæ, & Saliceti in *l. Interdum. ff. Qui potiores in pignoribus habeantur*. Immo addit, hanc esse opinionem communem. Alij verò probabilius opinantur, eum in ea re habere priuilegium personale, non tacitam hypothecam, nisi de ea expresse pactum fuerit.

Secundò quæritur, An qui mutuum pecuniam dedit ad nauim comparandam, extruendam, vel instruendam, vei armandam, vel refarciendam, vel ad alimenta eorum, qui nauem exercent, tacitam in ea hypothecam habeat? Dux sunt opinionēs, vna affirmat, & probat ex *Authenticæ de Equal. dotis. §. His consequens est. l. Interdum. ff. Qui potiores in pignore habeantur*. Ita Negulantius *membr. 2. part. 5. num. 15.* vbi citat Glossam, Azonem, Bartolum, & Salicetum, addit quoque reliquos communiter ita sentire. Altera est opinio, eum solum habere priuilegium personale, aut specialem hypothecam, quando de ea expresse fuerit conuentum. Prima, meo quidem iudicio, videtur esse

se probabilior sententia.

Tercò quæritur, An qui mutuum alicui pecuniam dat ad aliquid emendum, tacitè obliget sibi eam rem emptam? Dux quoque sunt opinionēs, Prima est afferentium, eam sibi obligare. *Glossa in Authent. l. Quo iure. C. Qui potiores in pignore habeantur.* Baldus, Angelus, Iason, Alexander, Castaneus, quos citat, & sequitur Couarruias *lib. 1. Variar. resol. c. 7. num. 3.*

Secunda est opinio, eum non obligare sibi, Bartolus, & *Glossa in l. Quod quis. ff. De priuileg. creditor. Zazius, Ripa, Salicetus, teste Negulantio, De pignor. membr. 2. part. 5. num. 3.* tradit esse communem sententiam. Et certe ex *l. Quamuis ea. C. De pignoribus*, planè colligitur, eum in ea re personale priuilegium habere, & specialem hypothecam, si de ea inter ipsos expresse conuenierit, alioquin non item.

Quartò quæritur, An qui nummos mutuos dat ad emendam domum, vel nauim, habeat in ea emptam tacitam hypothecam? Negulantius loco citato *num. 4.* Baldum, Salicetum, & alios sentens, ait, eum solum habere personale priuilegium, specialem verò hypothecam, quando expresse pactus fuerit de ea re, cum eo, cui pecuniam mutuum dedit. Alij verò simpliciter affirmant domum, vel nauim emptam, et tacita hypotheca obligatam manere. Id probat ex *Authenticæ de equalit. dotis. §. His consequens*, sed probabilius est, quod Baldus, & Salicetus tradiderunt.

Quintò quæritur, Quid sit dicendum, quando quis vendit rem aliquam, & statim eam emptori tradit, accepta fide de pretio soluendo, vtrum ea res vendita tacitè hypotheca teatur obstricta. Baldus in *l. Pro debito. C. De bonis auctoritate iudicis possidend.* affirmat eam rem esse obligatam, & probat ex *l. Iulianus. §. Effertur. ff. De alienatione empion. & vendit.* Negulantius vero in eo, quem supra attulimus, loco, profert Paulum, Ripam, Salicetum, Iasonem, & alios, qui negant, eam rem obligatam manere, quæ quidem videtur esse probabilior sententia, quia lex illa, Iulianus, quam Baldus proferebat, tantummodo locum non habet, quando venditor rem emptori non tradidit. Sic enim habet: Pretio integro sibi non soluto, potest retinere rem suam quasi pignus: Dixit, (quasi pignus) quia nemo rem suam loco pignoris habet. *l. Nec pignus. ff. De reg. iur.*

Sextò quæritur, An qui impensas fecit in funere, tacita hypotheca obliget sibi bona defuncti? Negulantius loco iam dicto, *num. 28.* Bartoli, Aretini, aliorumque adherens sententiæ, affirmat sibi obligare bona. Alij verò probabilius: eum nempe in eiusmodi bonis personale priuilegium acquirere, specialem verò habere hypothecam, si ita fuerit expresse conuentum.

Septimò quæritur, An in re emptæ ex pecunia militis, hypotheca tacita contrahatur? Idem Negulantius *membr. 2. part. 5. num. 16.* affirmat contrahi testimonio Bartoli, Saliceti, & *Glossæ in l. Quamuis. C. De pignoribus*. Alij verò opinantur, militi in ea re emptæ non acquiri tacitam hypothecam, sed ius & actionem vendicationis; quia potest, si vult, eam rem sibi vendicare, hoc est, ut sit in iudicio petere. *l. Si ut proponis. C. De rei similit.*

Octauò quæritur, An militi emptæ ex pecunia, quam mutuum dedit aliquis, tacitè ei maneat obligata? Negulantius quo dixi in loco, censet obligatam manere, quod probat ex *l. Super hypothecis, & l. Quod obtrinet. C. De pignoribus*. At ennuero ex his legibus solum elicitur, eum, qui talem pecuniam mutuum dedit specialiter, vt militi emeretur, sibi obligare rem emptam; quoniam specialiter, siue expresse dederat, vt militiam emeretur.

Nondò quæritur, An bona Ecclesiastica prælati sint tacitè Ecclesiæ obligata, pro bonorum eius administratione? Respondeo cum Pauormitano in *cap. Ex litteris, de pignoribus*, nihil de hac re expresse Canones, vel Leges,

& Iura

& Iura statuisse: sed communem esse omnium Doctorum sententiam, eius bona, tacita obligatione teneri. Ita Glossa, & Innocentius, Hostiensis, Ioan. Andreas, & Panormitanus in cap. Ex litteris, de Pignoribus. Et profecto, ita dicendum videtur; quia Ecclesia se habet, vt minor, cap. 1. De integritate restitu. Et cap. Auditor, eod. titu. & gaudet minorum privilegio, & iure. ergo sicut minor tacitam hypothecam habet in bonis curatoris. *Ultima. C. De legitimis tutorib.* sic Ecclesia tacite sibi habet obligata bona Prelati.

Idem iuris est, teste Negufantio, *membr. 4. part. 2. numer. 209.* de bonis administratorum Republicæ, rei civitatis. Etenim tacita obligatione bona eorum, qui Republicam, vel civitatem administrant, obligata manent. Cuius sententiæ fuere Romanus, Aretinus, & Alexander apud Negufantium. Nam quamvis nihil de hac re sit definitum iure; quia tamen Republica libera ætæratum publicum, & fisco habet, & qui cum fisco contrahit, tacite ei bona sua obligat; ideo qui Republicam administrat, tacita hypotheca ei sua bona subiicit. Civitas itidem, quamvis libera non sit, ac proinde fisco non habeat; quia tamen se habet, vt minor, eisdem minoris privilegis fruatur, ergo eius administrator tacite sua bona obligat civitati.

Decimo quaeritur, An bona furis sint tacite obligata pro restitutione rei furtivæ? Negufantius *membr. 4. part. 2.* refert Paulum, & Salicetum fecisse, ea bona esse tacite obligata domino rei furtivæ. Ceterum communis opinio Doctorum est, contra furem dari actionem, qua dicitur in Iure conditio furtiva, qua rem subreptam repetit dominus à fure, si extet, sin minus, æstimationem, & pretium eius.

Decimo quaeritur, An vsurarij bona tacita hypotheca, & obligatione teneantur pro restitutione vsurarum; bona itidem ex lucro vsuratio empta, an sint tacite obligata? Auctore Negufantio, *loco citato, num. 157.* Bartolus sentit, omnia esse tacite obligatione obstricta. Sed communis est Doctorum sententia, ea non esse tacite obligata.

### Quinam possint pignori dare.

#### CAPVT V.

**I**N primis quemque habet liberam suarum rerum, vel alienorum bonorum administrationem, potest pignori dare. *l. Solut. §. ult. c. l. Si conuenierit, De pignorib.*

Primo quaeritur, An pupillus possit rem suam loco pignoris obligare auctoritate tutoris? Respondeo, non posse absque decreto Iudicis. *l. 1. §. 1. Quæ res pignori obligari non possint.* Hæc locum habet in obligatione voluntaria, non necessaria. Nam ad tuendum, & defendendum causam, vel rem pupilli, potest solus tutor eius bona obligare, Bartolus in *l. 3. §. Quæ res pignori obligari non possint;* & Glossa in *l. Vult. §. Defensionem. C. De adm. inf. tuto.*

Secundo quaeritur, An seruus possit aliquid loco pignoris obligare? Respondeo, minime, nisi habeat liberam peculij administrationem. *l. Si liberam. C. Quod cum eo, qui in aliena potest. & Baldus ibidem, c. in l. Si conuenierit. §. ult. ff. De pignorat. actioe.* Et tunc non potest pignori dare, nisi obligatio sit in rem, & utilitatem ipsius peculij. Alioqui obligatio nullus est momenti sine consensu, & mandato domini. Bartol. & Glossa in *locis supra citatis.* Idem tunc est de filiofamilias, qui rem patris pignori dare non potest. Secus tamen est, si det rem castrensem, vel quali castrensem.

Tertio quaeritur, An defunctus potuerit bona hæreditarij pignori obligare? Respondeo, minime. Ita Cynus, Salicetus, Fulgositus in *l. Assiduis. C. Qui potiores in pignorib.*

*habeantur, Paulus, & Alexander in l. Si hæreditarius. ff. De legat. t. nisi hæres expressè ratam haberet obligationem; nec enim sufficit, si hæreditatem adeat, nisi defunctus obligauerit bona hæredis nomine ipsius; tunc enim aduersus hæreditatem, ratam habere obligationem hæres creditur. Bartolus in l. Rem alienam. §. Si autem. ff. De pignorat. actioe.*

Quarto quaeritur, An Ecclesia Prelatus possit res ipsius Ecclesiæ pignori obligare? Respondeo *ex cap. Nulli, de rebus Eccles. non alienan.* minime; potest tamen in contractibus iure permissis obligare generaliter bona Ecclesiæ, sine traditione illorum. Communem hanc esse opinionem testatur Negufantius *membr. 1. part. 2. numero 3.* Alexander *consil. 118. volum. 3.* Panormitanus in *cap. 1. De pignoribus.*

Quinto quaeritur, An socius possit pignori dare rem sibi cum socio communem? Respondeo, minime. *l. 1. C. Si communis res pignori data sit, c. l. 2. C. Communis dividendo. l. Si fratres, C. Communia vtriusque iusticij, c. l. Comento generalis. ff. De pignorib.* Quod locum etiam habet in sociis omnium bonorum. *l. Nemo ex sociis. ff. Pro socio.*

Sexto quaeritur, Quædo, & quo modo Procurator, vel qui negotia alienis gerit, possit aliquid pignori dare? Respondeo, posse, quando speciale mandatum habet. *l. Solutum, §. ult. ff. De pignorat. act. c. l. Si inter. ff. De pignor. & Bartolus in l. Filiusfamilias. ff. De donation. Item, si habeat vniuersam bonorum administrationem cum libera potestate. *l. Procurator cui libera. ff. De procurator. c. l. vel vniuersorum. ff. De pignorat. act. & Glossa ibidem, & Bartolus in l. 1. C. Si res aliena pignori data sit.* Idem iuris est in eo, qui est publicus administrator alicuius civitatis cum libera potestate. *l. Si is, qui bona. ff. De pignorib.* Nam hypotheca, & obligatio rem supponere, & subicere, est quoddam alienationis genus. *l. ult. C. De rebus alienis non alienan.* ergo rem alienam nemo potest pignori obligare, nisi ex speciali mandato, & contentu domini.*

### Quæ res pignori dari possint, & quæ non possint.

#### CAPVT VI.

**I**N primis pignori obligari potest res mobilis, vt aurum, argentum, gemma, liber, vestis, & immobilis, vt fundus, domus, prædium. Et res, quæ se mouet, vt leuius, ancilla, pecus. Res itidem incorporata, vel usufructus, & alia iura similia. *l. Si is. §. V usufructus. ff. De pignorib.* Item seruitutes prædiorum rusticorum, videlicet, vt eiusmodi seruitutibus creditor vt possit, quamdiu pecunia soluta non sit, & si ad diem constitutum non soluent debitor, liceat creditori eas vendere vicino. *l. Sed an via. ff. De pignor.* At verò seruitutes prædiorum vrbanozum, ea pactione, & conditione dari pignori nequeunt. *l. Si is. §. V usufructus, ad fin. ff. De pignori.*

Ratio discriminis est, Ne ædificia vrbana mutatis subinde habitatoribus deformatur. Possunt tamen pignori subici, vt creditori liceat ire, & agere. *l. Sed an via, super alata. ff. De pignori.* Vtilis itidem cautio, & nominat debitorum possunt obligari pignori. *l. Cum comenti. c. l. Grege. §. Cum pignori. ff. De pignor.*

Insuper res præterites, & futuræ, quæ in spe habentur, vt fructus arborum pendentes, partus ancillatum, & teetus animalium. *l. Et quæ non sunt. ff. De pignorib.* Denique dati, & supponi pignori possunt, quæ sunt in bonis nostris. *l. Quæ prædium. C. Si res aliena pignori data sit.*

Quæ verò pignori obstringi, & obligari nequeunt; hæc sunt, quæ sequuntur: Ea in primis, quæ exempta, & soluta sunt à commercio hominum, vel iure gentium, vt res sacra, vel religiosa: vel iure Ciuili, vt res publicæ publicæ